

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 15301/83 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Incid: querelae nullitatis adversus sententiam rotalem

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. II, feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno IX, die 17 ianuarii 1987, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis PP.DD. Aurelio Card. Sabattani, *Praefecto et Ponente*, Silvio Card. Oddi, Petro Card. Palazzini, Rogerio Card. Etchegaray, Opilio Card. Rossi, Mario Aloisio Card. Ciappi, Aloisio Card. Dadaglio, Simone Card. Lourdusamy, Rosario Josepho Card. Castillo Lara, Eduardo Card. Gagnon et Alphonso Card. Stickler, in causa N. Nullitatis Matrimonii, querelae nullitatis adversus sententiam rotalem, inter D.nam Y, repraesentatam per curatorem D.num Adv.tum Z, et D.num X repraesentatum per Adv.tum V, interveniente in causa Rev.mo P. Francisco D'Ostilio, OFM Conv., Promotore Iustitiae, hanc tulit definitivam sententiam.

FACTI SPECIES

1. X, annorum triginta, et Y, annorum undetriginta, die 10 maii 1965 matrimonium contraxerunt in ecclesia paroeciali in pago P, intra fines dioecesis R.

Quattuor annis a celebratione matrimonii elapsis, coniuges, die 20 decembris 1969, ad civilem separationem consensualem pervenerunt, hac, deinde, per s.d. civile divortium firmata, die 2 augusti 1980, vir matrimonium civile, X, cum S contraxit, ex qua, die 29 iulii 1981, puer natus est cui nomen T impositum est.

2. Chronologica factorum expositio causam quodammodo in primo iudicii gradu attinentium ita summatim describitur:

a) Die 21.3.1978 Adv. Romanae Rotae, V, Patronus ac Procurator partis actricis rite constitutus, apud Tribunal Regionale N. accusavit nullitatem matrimonii ob defectum discretionis iudicii in muliere, vel sin minus, “ob incapacitatem mulieris assumendi et rite in proxim deducendi onera matrimonialia”.

IURISPRUDENTIA PROT. N. 15301/83 CG

Instantia libello adnexa, Patronus petiit constitutionem curatoris pro muliere conventa.

b. Die 3.4.1978 Rev. Praeses Collegii, perdurante praevio colloquio habito cum muliere conventa, eam docuit de petitione a viro actore exhibita ac de opportunitate constituendi Curatorem. Mulier vero prompte ac fortiter respondit “di essere autosufficiente”, id est uti ipsa expresse significavit, “perfettamente in grado di difendersi da sola”.

Praeses Collegii, in documento ab ipso exarato de colloquio habito, concludit: “ha molto bene impressionato la prontezza la sicurezza e proprietà di linguaggio con cui ha sempre risposto alle varie domande che le ho rivolto”.

c. Die 9.4.1978, Praeses Tribunalis edidit decretum, quo - praemissa argumentatione in iure et in facto - declaravit mulierem conventam esse capacem agendi in iudicio ac propterea reiecit iteratas instantias Patroni viri actoris quoad constitutionem Curatoris.

d. Die 28.4.1978, libelli admissione iam peracta (d. 8.4.1978), sessioni ad litem contestandam indictae intervenit ipsa Conventa.

e. Die 17.3.1980, publicatione actorum peracta, cl.mus actoris Patronus, una cum declaratione nullitatis actorum, constitutionem Curatoris mulieris conventae iterum atque iterum petivit. Praeses autem Tribunalis, consideratis declarationibus Prof. A: “Le condizioni psichiche della Sig.ra Y sono tali da poter certamente permetterle di stare personalmente in giudizio a difendere i suoi diritti, almeno come qualsiasi altra persona di pari livello culturale”, atque alterius Periti ex officio, attentis votis Promotoris Iustitiae et Vinculi Defensoris declaravit: “non risultare che la Convenuta sia incapace di stare in giudizio e doversi quindi respingere l’istanza del Patrono dell’attore”.

f. Die 6.10.1980, Tribunal N edidit sententiam negativam, declarans non constare de nullitate matrimonii impugnati.

3. Una cum appellatione ad Rotam Romanam, die 20 octobris 1980, Patronus actoris querelam nullitatis interposuit adversus sententiam, sive ob denegatum sibi ius defensionis, sive ob defectum constitutionis Curatoris pro parte conventa. Sed, cum deinde huic querelae renuntiaverit, Ponens id acceptavit. Attamen, ne quis in posterum excipere posset nullitatem actorum vel sententiae, ad cautelam Curator datus est, selecto ad hoc munus Adv. Z, qui in prima instantia eanden ex officio defenderat.

Exc.mus autem Ordinarius, qui, ad instantiam Ponentis decretum constitutionis Curatoris edidit, in litteris transmissionis eiusdem decreti ad Rotam Romanam declaravit: “Aderendo ad esplicita e rinnovata richiesta di codesto Tribunale, nomino curatore ‘ad cautelam’ [...] l’Avv. Z di N. Mi

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

permetto far presente, tuttavia, che il Parroco della signora in questione, il M. R. Sac. B, ritiene che la medesima non abbisogni del curatore”.

Die 17 dec. 1981, Turnus Rotalis procedit ad concordationem dubii sub sueta formula a Patrono actoris proposita; Curator, rite citatus, non intervenit sessioni, scripto autem declaravit: “Non posso purtroppo essere presente di persona, dichiaro comunque di non avere alcun motivo per oppormi alla concordanza del dubbio nella formula riportata nel decreto stesso. Contesto però la veridicità di quanto afferma (la) parte attrice per cui fin da ora mi riservo di chiedere che al dubbio venga data risposta negativa”.

Dubio concordato atque peracta disceptatione inter Vinculi Defensorem et Patronum partis actricis, qui plurima scripsit, qualibet notificatione praetermissa cuiuscumque actus processus sive parti conventae sive ipsius Curatori “ad cautelam” constituto, die 16 decembris 1982, Turnus Rotalis edidit sententiam affirmativam, quae Curatori notificata fuit die 9 martii 1983, per ministerium Tribunalis Eccl.ci N.

4. Partis conventae Curator ad cautelam constitutus, Adv. Z, die 14 martii 1983, intra terminos legales adversus sententiam rotalem appellationem et querelam nullitatis interposuit apud Rotam Romanam eamque prosecutus est. Cum tamen sibi notificatum fuisse competentiam ad videndum de querela nullitatis contra sententiam rotalem esse penes Supremum Tribunal Apostolicae Signaturae, die 20 aprilis 1983 apud Supremum Tribunal querelam nullitatis interposuit. Huc, post praeliminarem disceptationem, in congressu diei 8 maii 1984, decretum fuit “recursum admittendum esse ad disceptationem coram Patribus Cardinalibus”.

Dubium dein die 30 maii 1984 concordatum est sub formula: “An constet vel minus de nullitate sententiae coram Stankiewicz diei 16 decembris 1982”.

5. Ulteriore disceptatione peracta, et voto redacto a Rev.mo Promotore Iustitiae, quaestio discussa est in Sessione Plenaria Patrum Cardinalium diei 30 martii 1985, qui decreverunt: “Dilata”. Omnibus actis causae denuo diligenter perscrutatis et accurato examini submissis, hodie nobis est dubio ut supra concordato respondendum.

IN IURE

6. Cum hic agatur de nullitate sententiae quae declarata est vigente C.I.C. 1917, applicari debet Codex vetus ad quaestionem solvendam.

Contendit cl.mus Curator D.nae Conventae sententiam coram Stankiewicz diei 16 decembris 1982 nullam fuisse, et quidem insanabiliter, dupli ex capite, nempe:

1. Ob legitimi mandati defectum;
2. Ob denegatum ius legitimae defensionis.

A. De Legitimi mandati defectu

7. Ad normam can. 1892, 3°, sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando quis nomine alterius egit sine legitimo mandato. Qui enim ita agit non habet personam standi in iudicio (cf. LEGA-BARTOCCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, vol. II, 1950, 102l).

Doctrina hanc normam refert ad mandatum ad lites de quo in can. 1659 (cf. J. NOVAL, *De processibus*, Pars I, 1920, n. 659; F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I, 1956, 557 et vol. II, 1926, 227-228; WERNZ-VIDAL-CAPPELLO, *De processibus*, 588; LEGA-BARTOCCETTI; A. HANSEN, *De sanctione nullitatis in processu canonico*, in *Apollinaris*, 1938, 259 ss).

At iurisprudentia Sacrae Romanae Rotae can. 1892, 3°, applicavit etiam casui Curatoris ab Ordinario designati pro parte quae capacitate processuali certo gaudet, unde sequeretur sententiae nullitas, ob invalidam constitutionem curatoris. Cf. S.R. Rotae decisiones: coram Mannucci, 10 aug. 1932, n. 2, 43l; coram Sabattani, 20 mart. 1964, n. 9, 230; coram Pinto, 28 apr. 1977, n. 2, b (*Monitor Eccl.*, 1978, 405).

Recte etiam ad curatorem norma can. 1892, 3° applicatur: si quidem hic nomine incapacis agit, quod absque legitimo mandato persolvere valide nequit. Consequenter “can be no doubt that the activity of persons performing the role of guardians falls under the prescription of canon 1892, n. 3” (G. J. SESTO, *Guardians of the mental ill in ecclesiastical trials*, 1956, 124). Tunc curator ab Ordinario legitime constitutus, vi huius constitutionis, mandatum habet de quo in can. 1892, 3° (*ibid.*, 125). Cf. LEGA-BARTOCCETTI, I, 332, 2; S.R.R. decisio cit. coram Mannucci, l. c.

8. Curatoris constitutio necessaria est cum certo constat partem capacitate processuali carere, capacitate nempe ponendi et suscipiendi per se ipsam actus processuales. “Eiusmodi capacitas non minorem maturitatem evidenter requirit quam requiratur ut quis de propriis bonis disponere possit” (ROBERTI, I, 515; cf. LEGA-BARTOCCETTI, 303; SESTO, 43-44).

In concreto requiritur psychica capacitas intelligendi quodnam in causa pertractanda sit suum interesse, in veritate fundatum; quaenam facta a parte contraria adducta neganda sint, utpote non vera, et quaenam concreta

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

adducenda sint pro sua defensione; necnon capacitas veraciter respondendi iudici interroganti (cf. ALTAVILLA, *La condotta anomala nel diritto civile e nel diritto penale*, II, 1960, 24).

Sunt certe incapaces qui rationis usu habitualiter carent (can. 1648, §1), sicuti schizophrenici, cum cuiuslibet actus vere iuridici sunt incapaces. At etiam incapaces possunt esse “qui minus firmae mentis sunt”, nempe qui ex causa psychopathologica piena et perfecta mentis discretione, gradu plus minusve gravi, stabiliter carent, quin rationis usu destituti sint (cf. J. NOVAL, *De semi-amentibus et semi-imputabilitati obnoxiiis, Ius Pontificium*, 1924, 82). Incapacitas verificatur ubi mentis discretio ad se in causa defendendum desideratur.

Iuxta Roberti, “Iure canonico maiores usu rationis penitus destituti debent per alios repraesentari (can. 1648, §1; CproEODEIu, can. 163, §2); qui minus firmae mentis egent adsistentia alicuius in processu” (o.c., 521). Hoc ultimum, quod valet v.gr. pro Codice gallico et italic, non admittitur pro iure canonico in quo omnes, tam interdicti quam inhabiles debent per suos curatores repraesentari ne processus et sententia nullitate laborent (cf. LEGA-BARTOCCETTI; G. OLIVERO, 69-70). Munus ergo curatoris est substituere illum cui datus est, cum iure agendi vel obligatione respondendi pro ipso, prout casus ferat.

9. Pontificia Commissio Interpr. die 25 ianuarii 1943 declaravit ad curatorem dandum iis, qui rationis usu destituti vel minus firmae mentis sunt, non requiri regulare iudicium, sed sufficere decretum Ordinarii, praevia eiusdem prudenti inquisitione; itemque denuntiationem citationis et communicationem sententiae, de quibus in canonibus 1712 et 1877 non esse faciendas ipsi rationis usu destituto aut mente infirmo, sed eorumdem curatori legitime constituto (AAS, 35 [1943] 58).

Commentat D. Staffa: “Curatoris ergo constitutio pro mente infirmis [...] est actus quo infirmi capacitas agendi integra fit, actus nempe in eius favorem, non contra eum. Exinde tamen arguere non possumus curatorem absque debita cautela et praeviis investigationibus constitui posse [...] Antequam enim curatorem constituat, omnibus mediis quae eum a dolo praemunire valent, Ordinarius certior fieri debet sive de infirmitate, sive de curatelae necessitate et opportunitate, sive de idoneitate personae cui curatoris officium deferendum est” (*De constitutione curatoris pro mente infirmis in iure canonico*, Apollinaris, 1943, 77, nota 78).

Opportune animadvertisit I. Torre: “Consideratur constitutio curatoris quasi actus administrativus extra et ante iudicium prudentiae pastorali Ordinarii relictus, nec requiritur praecedens interdictio vel peritale infirmi

examen, nisi ipse Ordinarius hoc censeat opportunum, ad suum iudicium efformandum” (*Processus matrimonialis*, 1956, 223).

Nec est necessarium inquirere semper ad curatorem constituendum de statu mentis partis tempore quo matrimonium celebratum fuit, etiam in casu quo nullitas matrimonii petatur ex capite amentiae ipsius partis, nam constitutio curatoris pendet a statu mentis partis tempore quo celebratur processus.

10. In dubio positivo et probabili de partis capacitate processuali, ad vitandas controversias circa sententiae validitatem, constitui potest curator ad cautelam.

Hoc in casu acta iudicialia denuntiari possunt parti, sed debent semper et necessario denuntiari etiam curatori qui partem legitime substituit in processu. Nihil prohibet quominus curator, ad cautelam datus, agat in iudicio collatis consiliis cum parte curata. Sententia erit semper valida, quamvis pars sit revera capax standi per se in iudicio, nam, etiam cum datur curator ad cautelam, verum subiectum relationis processualis est curator partem legitime substitueris in iudicio.

11. Ad constituendum curatorem ad cautelam opus est ut existat dubium probabile “de partis iudicii discretione causae agendae proportionata; aliter id nefas est quia iure naturali agendi in iudicio pars immerito privaretur et sententia, ob defectum legitimi mandati, fuissest insanabiliter nulla, ad normam can.1892, 3°” (S.R.R. Dec. coram Pinto: 28 apr. 1977, n. 2).

At, in dubio positivo et probabili, si curator ad cautelam non constituatur quia ita videtur auctoritati competenti, standum est pro sententiae validitate donec contrarium probetur, attento quod “un uomo qualsiasi deve essere considerato normale sino alla prova del contrario” (PIUS XII, *Discorso al XIII Congresso internazionale di psicologia applicata*, 10 apr. 1958: AAS 50 (1958) 268-282; cf. can. 1646).

12. Curator, prout constanter tenet iurisprudentia, “constituitur non ad coarctandum liberum exercitium personae, sed exclusive ad iura incapaci subiecti tutanda” (S.R.R. Dec. coram Pozzi 12 ian. 1977, n. 5).

Iure merito, in alia decisione rotali, affirmatur quod Curator in foro ecclesiastico constituitur “ut iura curatus valeat apte defendere sua atque praecaveantur nullitates actuum: quod aptissime constat etiam ex praxi apud nostrum Sacrum Tribunal, constituendi nempe aliquando curatorem saltem ad caulelam” (S.R.R. Dec. coram Pompedda 8 apr. 1974, n. 5).

B. De iure legitimae defensionis denegato

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

13. Ad normam can. 1680, in quo continetur sistema canonicum nullitatis actorum iuridicorum, sententiae nullitas ob legitimae defensionis ius denegatum potest esse vel iuris naturalis vel iuris positivi. Agitur vero de nullitate derivata in utroque casu, quippe quae provenit a nullitate processus, a quo sententia dependet tamquam a propria causa.

Iure naturae processus nullus est quando parti contradictorium fuit denegatum, quippe quod hoc essentialiter constitutus iudicium. “Non concipitur iudicium seu judicialis disceptatio nisi adsit contradictorium seu facultas utriusque parti concessa se defendendi adversus alterius partis assertiones et allegationes” (LEGA-BARTOCCKETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, vol. II, 1950, 900).

Prae oculis haberi debet nullitatem hanc provenire, non ex contradictorii defectu, sed ex contradictorio denegato. “Cum versemur in themate defensionis judicialis, nemo inficiatur iuri defensionis litigantes renuntiare posse [...] hinc nullitates, hac de re, a lege positas esse relativas, non absolutas” (LEGA-BARTOCCKETTI, 909). Ideo, per se, sunt sanabiles (*ibid.*), quod confirmatur in can. 1894, 1°, ubi legitimae citationis defectus recensetur inter sententiae nullitates sanabiles.

Praeterea, non omnis negatio legitimae defensionis importat iudicium atque sententiae nullitatem, sed solummodo illae quae eiusdem iudicij substantiam afficiunt. “Animadvertisimus quasdam ex nullitatibus iure positivo statutis, etiam a iure naturali promanare, veluti si in processu denegata fuerit legitima defensio”. “Plerumque, si ne essentialia quidem iuris defensionis in aliquo processu fuerint observata, probabiliter talis facta est legum processualium perversio ut processus vix possit non laborare nullitate” (F. ROBERTI, *De processibus*, vol. II, 1926, nn. 494 et 523). Consequenter, sententiae nullitas admissa fuit in S.R. Rotae decisione coram Mori, diei 16 iun. 1910, n. 2, 210, ubi legitur: “Hi vero defectus cum sint substantiales, quippe qui admittunt defensionis ius, cuique a iure naturae concessum, processum prorsus nullum reddunt”; similiter in decisione coram Mannucci, d. 27 februarii 1930, n. 4, 120.

Ad substantiam instructionis processus pertinent probationes necessariae et defensiones legitimae

“Nullus est processus:

- a) Si iudex probationes necessarias non admiserit.
- b) Si iudex legitimam defensionem denegaverit non communicando cum reo probationes ab actore inductas, non admittendo probationes contrarias ut supra, praesertim si novae probationes admissae fuerint post conclusionem in causa, quin reo concessum fuerit congruum tempus probationes cognoscendi et sese defendendi (can. 1861). Si una alterave

probatio tantum occulta permanserit, sententia erit nulla, prout eadem probatio innitatur vel non.

c) Si terminum probationum et defensionum nimis coarctaverit vel sine consensu partis abbreviaverit.

d) Si probationes nulliter factae sint [...]

e) Si probationes non sint in actis et sententia iis innitatur [...] "(A. HANSSEN, art. cit., 199-202). Concordat H. JONE, *Commentarium in C.I.C.*, vol. III, 1955, 98).

Ius defensionis consistit in concessione concreta et practica nedum iuris abstracti seu merae possibilitatis se defendendi, verum etiam exercitii iuris seu possibilitatis exercendi de facto ius propriae defensionis.

Concessio iuris absque possibilitate concreta exercendi ius, idem est, saltem in agilibus, ac denegatio ipsius iuris. Unde si parti denegatur de facto exercitium iuris se defendendi in iudicio, sententiam in tali iudicio prolatam nullitate, ab ipso iure naturae statuta, laborare tenendum est.

14. Iure positivo ius defensionis exerceatur in iudicio per contradictorium inter partes.

Contradictorium re vera non datur inter partes si una pars dicat in iudicio, et altera, quamvis admissa theorice in iudicio ad contradicendum, impediatur de facto quominus contradicere possit. Ad contradictorium requiritur dialogus, quin sufficiat monologus.

Certum est citationem esse necessariam ad contradictorium constituendum seu aperiendum. At non sufficit constituere contradictorium, si deinde parti non datur possilitas concreta seu practica exercendi contradictorium; sicut non sufficit aperire portam contradictorii, si deinde pars impediatur quominus transire possit per portam et ingredi seu exercere contradictorium. Citatio est quidem initium contradictorii, sed non exhaustit seu complet totum contradictorium.

In concreto, ius defensionis seu contradictorium iudiciale consistit praecipue:

a) in facultate inducendi probationes in iudicio;

b) in facultate cognoscendi probationes a parte adversa adductas;

c) in facultate exhibendi proprias deductiones, allegationes et defensiones;

d) in facultate respondendi, saltem semel, deductionibus, allegationibus et defensionibus partis adversae.

Unde, si possilitas concreta exercendi omnes praedictas facultates denegetur, deest revera contradictorium iudiciale, ideoque processus est nullus quia in eo deficit id quod processum essentialiter constituit (can. 1680), id est contradictorium, quamvis singulae omissiones illorum actuum

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

non secumferant nullitatem processus utpote non requisitorum sub poena nullitatis.

15. Quaeri potest, in specie, an omissio non acceptata seu non sanata commutationis seu communicationis defensionum inter partes possit secumferre nullitatem processus.

Ad rem notare iuvat quod allegationes, defensiones et animadversiones quas partes privatae et publicae exhibent in scriptis iudici, nihil aliud sunt nisi elementa scientifico ac logico modo instructa, ope etiam argumentationum, deductionum et praesumptionum, quibus partes exercent praecipue ius propriae defensionis, quibuscum contradictorium iudiciale gradum maximum inter partes attingit.

“Restrictus iuris et facti” Advocatorum, prout etiam “Animadversiones” Defensoris vinculi et “Votum” Promotoris iustitiae, non est mera recollectio probationum quae in actis prostant, sed est constructio seu elaboratio quae, elementis instructionis causae nisa, vim probationum adductorum debita luce proponit.

Quapropter recte ius praecipit ut defensiones et allegationes commutentur seu communicentur inter partes.

Hac igitur ratione concludit Lega: «scripturae defensorialis exemplar distribui quoque debet adversae parti quae vicissim suam defensionem cum altera commutabit». Quod negotium commutandi scripturas inter partes, hoc censu comprehensis quoque promotore iustitiae et vinculi defensore, est non parvae gravitatis, quippe influit directe in legitimam causae discussionem et pertinet ad iudicii necessarium elementum seu controversiae disceptionem ex praescripto can. 1552, §1. Pars enim quae excipere posset se non habuisse exemplar adversae defensionis et hinc se non defendisse, grave impedimentum constitueret definitioni causae” (LEGA-BARTOCCELLI, II, 315 n. 6 et 7), et, si causa iam definita sit, valori ipsius definitionis seu sententiae ob parti denegatum ius se defendendi.

16. Tandem, cum agatur, in casu, de sententia quae consecutra erit effectus civiles in natione italica, prae oculis haberi debent etiam normae iuridicæ Concordati inter Sanctam Sedem et Rempublicam Italiae. In art. 8/2 huius Concordati ita statuitur: “Le sentenze di nullità di matrimonio pronunciate dai Tribunali ecclesiastici, che siano munite del decreto di esecutività del superiore organo di controllo, sono, su domanda delle parti o di una di esse, dichiarate efficaci nella Repubblica italiana con sentenza della Corte di Appello competente, quanto questa accerti:

- a) *che il giudice ecclesiastico era il giudice competente a conoscere della causa in quanto matrimonio celebrato in conformità del presente articolo;*
- b) *che nel procedimento davanti ai tribunali ecclesiastici è stato assicurato alle parti il diritto di agire e di resistere in giudizio in modo non difforme dai principi fondamentali dell'ordinamento italiano.*

IN FACTO

17. Curator partis conventae querelam nullitatis adversus sententiam rotalem coram Stankiewicz diei 16 decembris 1982 ex duplice capite proponit, nempe:

- ob defectum legitimi mandati;
- ob denegatum ius legitimae defensionis.

Quapropter Nobis duplice hoc dubio respondendum est:

- 1) An constet de nullitate sententiae impugnatae ob defectum legitimi mandati;
- 2) An constet de nullitate ipsius sententiae ob denegatum ius legitimae defensionis.

I. An constet de nullitate sententiae impugnatae ob defectum legitimi mandati.

18. Quoad primum caput impugnationis, Curator asserit: "Ad mentem can. 1892, n. 3, la sentenza potrebbe essere nulla di nullità insanabile 'ob defectum legitimi mandati', anche se intervenisse nella causa il Curatore, invece della parte capace di stare in giudizio". Curator ita prosequitur: "Secondo il Lega-Bartocetti, poi: 'Amentia vel insania personae certo constabilienda est, antequam curator adsignetur' (*Commentarius in Iudicia eccl.* III, 148) [...]. Atqui, nel caso, non vi è proprio alcun serio motivo di dubbio circa la capacità della convenuta di stare in giudizio. Ne fa fede [...] la deposizione giudiziale del Neurologo Prof. AA, che la ebbe in cura per qualche tempo, nonchè l'attestato rilasciatole dal medesimo in data 6. IV. 1979 (vol. cit., 197) e lo ha dimostrato la convenuta stessa con il suo comportamento in questa stessa causa. D'altra parte, la capacità della convenuta di stare in giudizio è espressamente riconosciuta anche nella stessa Sentenza Rotale (cf. p. 28 ss.), ma, ciò nonostante, pur sapendo che ella era decisamente contraria che le venisse assegnato un curatore [...] le si è voluto dare un Curatore *ad cautelam* "ne quis in posterum excipere posset nullitatem actorum et sententiae".

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

19. Convenire necesse est cum cl.mo Curatore sententiam affici vitio nullitatis insanabilis ob defectum legitimi mandati, si in casu concreto constaret Ordinarium loci vel Tribunal Curatorem constituisse temerarie, festinanter, i.e. absque sufficienti praevia investigatione, absque dubio saltem probabili de defectu capacitatis conventae standi in iudicio.

At, in casu nostro examini subiecto, ex actis et probatis, palam constat Exc.mum Ordinarium necnon iudices, sive in primo sive etiam in altero iudicij gradu, magna cum prudentia et ponderatione, egisse.

Constitutio enim Curatoris, minime obstantibus repetitis instantiis ex parte actoris Patroni, pluries antea denegata est:

- reiecta est petitio a Patrono actoris in libello facta, quatenus mulier conventa directe Sessioni ad litis contestandam intervenit et suam autosufficientiam declarat;

- die 17. 3. 1978, Praeses collegii reicit iterum petitionem a Patrono exhibitam.

Tandem, instante eodem actoris Patrono ut conventae adsignetur Curator cuius "praesentia est necessaria pro existentia validi contradictorii", Turnus Rotalis novam instantiam acceptare coactus est, actis causae diligenter examinatis et praehabito voto favorabili sive ex parte Promotoris iustitiae (die 8. 5. 1981) sive etiam ex parte vinculi Defensoris (die 15. 5. 1981).

20. Ut supra dictum est, ad constituendum legitime curatorem sufficit fundatum dubium circa mentis debilitatem partis curatelae subiciendae. In casu negari nequit Exc.mum Ordinarium in deliberanda constitutione Curatoris mulieris conventae fundato dubio caruisse; hoc autem dubium, edita sententia affirmativa a Turno Rotali, cessit veritati.

Ex alia parte Commissio Interpr., die 25 ianuarii 1943, authentice declaravit: ad curatorem dandum iis qui minus firmae mentis sint, non requiritur regulare iudicium, sed sufficit decretum Ordinarii, praevia eiusdem prudenti inquisitione (AAS 35, 1943, 58; *Leges Ecclesiae*, n. 1729, II col. 2164).

In prima instantia Ordinarius censuit, saltem de facto, necesse non esse constituere curatorem pro muliere conventa, instantiis actoris minime obstantibus; unde sententia in illa instantia data absque constitutione curatoris haberi debet ut valida et, ex hac sola ratione, legitima.

In secunda vero instantia, ipse Ordinarius censuit opportunius constituere curatorem saltem ad cautelam; ideoque sententia, ex hoc titulo, censenda est valida et legitima.

Aliter esset dicendum si ageretur de parte rationis usu destituta (cf. can. 1648, §1).

Inutile est quaerere an mulier conventa sit revera et de facto incapax standi in iudicio per se ipsam. Ordinarius N, perpensis animadversionibus Ponentis rotalis, censuit constitutionem curatoris pro muliere fuisse prudentem in casu, saltem ad cautelam; et hoc iudicium practicum Ordinarii sufficit ad legitimam reddendam constitutionem curatoris. Ex alia parte, constitutio curatoris non privat partem iure se defendendi per curatorem et per Patronum a curatore constitutum; ideo ius defensionis, et huius iuris exercitium, satis componi potest cum praesentia et interventu curatoris legitime constituti.

Nec hoc Supremum Tribunal de curatore ad cautelam valide constituto hucusque dubitavit. Aliter legitimum mandatum ex parte mulieris conventae exegisset, ne processus hic et sententia nullitate insanabili laborent ad normam can. 1620, n. 6 CIC 1983.

Unde concludere debemus *non constare de nullitate sententiae rotalis diei 16 decembris 1982 c. Stankiewicz ob defectum legitimi mandati.*

II. An constet de nullitate sententiae ob denegatum ius legitimae defensionis

21. Quoad alterum caput impugnationis, Curator mulieris conventae nonnulla, ad instantiam rotalem relata, narrat facta quae admittuntur ab actore tamquam omnino certa et probata.

Scribit enim Curator in recursu ad Signaturam: “Nominato curatore d’ufficio ‘ad cautelam’ della Sig.ra Y, convenuta in causa, dopo aver ricevuto l’invito a partecipare alla concordanza del dubbio fissata per il 17 dicembre 1981, mi è giunta notizia della sentenza, tramite il Tribunale ecclesiastico regionale … il 12 marzo, senza aver prima ricevuto notifica né della pubblicazione degli atti, né della conclusione in causa, né mi siano stati trasmessi il restrictus della difesa attrice e le animadversiones del Difensore del vincolo”.

22. Unde in instantia rotali:

a) Neglecta et omissa est notificatio parti conventae formulae qua dubium fuit die 17 decembris 1981 concordatum. Formula dubii statuta notificanda est etiam parti contumaci “assignato congruo tempore ut exceptiones contra dubiorum formulam proponere” valeat (art. 72, §1 Norm. Rotae). Eadem formula “ex officio” notificanda est parti absenti quae se remittit iustitiae tribunalis (art. 73, §1 Norm. Rot.).

Licet inde concludere, saltem a fortiori, formulam dubiorum notificandam esse parti conventae absenti, in casu curatori absenti, qui active dimicare velle pro valore vinculi declaravit.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

b) Neglecta et omissa est notificatio conclusionis in causa. In casu, conclusio in causa facta fuit inaudita parte conventa, scilicet quin pars conventa, interrogata a iudice, posset declarare explicite vel implicite se nullas alias probationes habere deducendas (cf. can. 1860, §2).

Apud Rotam “responzionibus exhibitis, quas inter se partes vel partium patroni post defensionum distributionem commutant, conclusum in causa habetur” (art. 121 Norm. Rot.). Per commutationem responzionum, quin partes novas probationes adducere pertierint, implicite declarant eadem partes se nihil aliud deducendum habere.

Unde pars conventa privata est iure petendi et deducendi circa novas probationes, si et quatenus.

c) Neglecta est, immo non concessa parti conventae, facultas seu possibilitas concreta exhibendi proprias allegationes et defensiones, atque respondendi allegationibus partis adversae.

Praecipit enim ius: sive ante conclusionem in causa, prout accidit in Rota (art. 121), sive in aliis tribunalibus, “facta conclusione in causa, iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum temporis spatium praestitut ad defensiones suas seu allegationes sive per se sive per advocatum exhibendas” (can. 1862 §1).

Ut patet, agitur de vero officio iudicis praestituendi et notificandi omnibus in causa partibus spatium temporis concessum ad proprias defensiones exhibendas; ac proinde agitur etiam de vero iure habendī spatium ad proprias defensiones praesentandas.

d) Neglecta est, immo non concessa, parti conventae facultas seu possibilitas concreta respondendi allegationibus et defensionibus actoris.

Praecipit enim ius: “Commutatis vicissim inter partes defensionum scripturis, utriusque parti responsiones exhibere liceat, intra breve tempus a iudice praestitutum” (can. 1865; art. 128, §1 Norm. Rot.) et partibus notificandum.

Haec facultas respondendi vocatur a Codice “ius partibus” concedendum (can. 1865, §2).

23. Ut supra dictum est, quamvis praedicti singuli actus processuales non requirantur a iure sub poena nullitatis, neglectus vel omissio non sanata omnium horum actuum secumfert suppressionem invitam contradictorii iudicialis, quod processum essentialiter constituit, ideoque nullitatem ipsius processus (can. 1680, §1).

Hisce enim omissionibus denegatum fuit practice parti conventae ius defensionis seu ius contradicendi; ideoque totus processus et sententia cum eo corruit. Haec conclusio eo certior est in casu tenenda quod pars adversa

iisdem facultatibus plene gavisa est, dum pars conventa easdem facultates sese defendendi non est assecuta in instantia rotali.

Ad rem merito observabat Lega: “Defectus legitimae defensionis in una parte adversus alteram, est vitium iudicium intime inficiens idemque labefactans” (LEGA-BARTOCCKETTI, *Comm. in iud. eccl.*, II, 908, n. 9).

24. Positio processualis partis conventae in iudicio coram Rota Romana dare et praecise est determinanda ad quodlibet in materia dubium dissipandum.

Pars enim conventa nequit censeri: a) pars absens contumax ad normam can. 1842, et art. 70 Normarum Rotae Romanae; obstant dare litterae curatoris diei 1° dec. 1981 ad Rotam missae; b) pars citata quae se remittit iustitiae tribunalis (cf. art. 71 et 73 Norm. Rot. Rom.), nam nullibi constat de hac voluntate partis se remittendi iustitiae Tribunalis; c) simpliciter absens ad normam art. 73 Norm. Rot. Rom., quia voluntatem manifestavit contradicendi, etiam in instantia rotali, petitioni actoris, ut patet ex infra statim dicendis.

At, contra, pars conventa consideranda est processualiter pars praesens in iudicio, quatenus positive constat quod ipsa, per suum curatorem, citationi respondit atque declaravit se directe exercere velle ius defensionis. Scripsit enim legitimate constitutus curator mulieris conventae die 1° dec. 1981 litteris Rotae Romanae missis: “Non posso purtroppo essere presente di persona; dichiaro comunque di non avere alcun motivo per oppormi alla concordanza del dubbio nella formula riportata nel decreto stesso. Contesto però la veridicità di quanto afferma la parte attrice per cui fin da ora mi riservo di chiedere che al dubbio venga data risposta negativa”.

Haec ultima verba clare demonstrant voluntatem partis conventae exercendi, etiam directe et personaliter, ius defensionis, id est petendi ex nunc, et probandi tempore a iudice statuendo, ut proposito dubio respondeatur negative. Unde pars conventa, quamvis excusationem afferat absentiae in sessione pro dubio concordando, propriam voluntatem manifestat participandi active et personaliter instantiam rotalem. Qua re praesens in iudicio ad omnes iuris effectus habenda est in instantia rotali.

Si igitur pars conventa de facto absens fuit in phase disceptationis causae ac propterea ius defensionis non exercuit oportunas allegationes proponendo adversus thesim partis actricis, talis absentia omissioni notificationum ex parte Tribunalis exclusive tribuenda est. Curator exspectabat opportunum tempus ut iura conventae rite defendere posset: “fin da ora mi riservo di chiedere che al dubbio venga data risposta negativa”; haec autem possilitas ei data non fuit.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Nec allegari potest quilibet diversus modus seu praxis procedendi in prima et in secunda instantia, nam expresse statuit art. 163 Normarum Rotae Romanae: “Hisce appellationis iudiciis communes sunt normae processuales statutae pro instantiis in primo gradu apud Tribunal Rotae pertractandis” (art. 163).

Unde concludendum nobis videtur processum rotalem et sententiam diei 16 decembris 1982 coram Stankiewicz esse nullius valoris in casu.

25. Iuvat, in fine, solvere difficultates a Patrono partis actricis propositas:

a. Praescripta canonum, de quibus in casu agitur, non imponuntur ‘sub poena nullitatis’. Patronus viri actoris admittit praescripta iuris circa notificationem formulae dubiorum et commutationem defensionum esse quidem observanda. At notat ipsorum praescriptorum neglectum non afficere valorem actuum vel processus, utpote a canonibus non requisita ‘sub poena nullitatis’ (can. 1680, §1).

Respondemus: dato, non concesso, quod publicatio seu commutatio allegationum et defensionum, non requiratur sub poena nullitatis (cf. can. 1861, §2), admittendum est pacifice quod, neglecta seu omissa notificatione parti conventae facienda et formulae dubiorum, et conclusionis in causa, et allegationum seu defensionum partis adversae, et animadversionum defensoris vinculi, necnon neglecta facultate exhibendi proprias allegationes, et respondendi defensionibus adversis, aperte *deficiunt ea quae actum ipsum*, id est contradictorium iudiciale et ius defensionis ‘essentialiter constituunt’(can.1680, §1), immo ipsa notio deficit iudicii ecclesiastici (can. 1552, §1).

Quare nullitas processus et sententiae rotalis clare habetur in casu ex can. 1680 §1, quamvis in singulis canonum praescriptis desit expressa et explicita impositio ‘sub poena nullitatis’ (cf. can. 1680, §1).

b. Pars conventa praesumitur renuntiavisse nonnullis actibus processualibus. Respondemus: pars nequit privari facultate et iure se defendendi seu instituendi et exercendi contradictoriun iudiciale; sed potest legitime renuntiare exercitio iuris se defendendi seu exercendo contradictorium (can. 1740, §1).

At renuntiatio sive omnibus sive nonnullis tantum actibus, ut valeat peragenda est in scriptis (cf. can. 1740, §1; art. 87 Norm. Rot.); ideo renuntiatio tacita vel implicita non valet. Renuntiatio posset esse praesumpta, sed hoc accidere tantum potest “si pars aliquem actum iudiciale intra terminum ei a iudice praefixum, absque legitima excusationis causa, ponere negligat” (art. 86, §1 Norm. Rot.).

In casu nostro, non constat de renuntiatione scripto facta a curatore partis conventae, nec ullus terminus praefixus est parti conventae ad aliquem

actum, puta ad novas probationes exhibendas, ad allegationes producendas, ad responsiones praesentandas etc., ponendum. Unde renuntiatio ad hos actus ponendos nec facta fuit, nec praesumi potest in casu.

c) Actus processuales notificantur Patronis, non partibus, saltem in nonnullis casibus. Patronus actoris semel ac iterum affirmat et sustinet nonnullos actus processuales, in specie eos de quorum omissione in casu agitur, notificandos esse solis Patronis, non partibus. Unde si curator non constitutat Patronum, et non agat in iudicio qua Patronus sed qua pars privata, nulla adest obligatio eosdem actus curatori notificandi. In casu nostro, Adv. Z non erat Patronus mulieris conventae, sed tantum curator; ideo actus processuales, de quibus agitur, non erant eidem significandi.

Distinctiones, quas idem Patronus actoris praemittit inter procuratorem et curatorem sunt certo tenendae. Curator enim unam personam constituit processualiter cum curato, et non indiget mandato partis ad valide agendum in iudicio (cf. can. 1650). Procurator vero reprezentat partem, et indiget mandato generali aut speciali, iuxta casus, ad valide agendum in iudicio (cf. cann. 1656 et 1662). E contra non probatur distinctio, quam Patronus actoris introducit, inter partem privatam seu curatorem cum Patrono et partem privatam seu curatorem sine Patrono, quatenus curator, qui careat Patrono, “ha tutti i diritti che la legge riconosce alla parte, non quelli che la legge riconosce e riserva al Patrono della parte”. Etenim:

aa) omnia iura quae ius procuratoribus tribuit, competunt etiam, primo, principaliter et personaliter partibus, et pertinent ad procuratores tantum qua reprezentantes legitimos partium in iudicio; nam titularis actionis est semper et tantum pars, non procurator, et partes possunt procuratorem removere in quolibet stadio causae (can. 1664, §1 et can. 1735).

bb) nulla iura quae competit partibus in iudicio reservantur solis Patronis, nullusque actus adest in iudicio qui possit poni a Patronis, et non possit etiam poni personaliter a partibus, cum vel absque Patronis constitutis. Subiecta enim relationis processualis sunt semper partes, cum vel absque Patronis, et iudex; minime vero Patroni qui, qua tales, carent titulo actionis vel exceptionis quique possunt actiones exercere et exceptiones proponere tantum qua partium reprezentantes, vi mandati partium, et nomine partium.

Haec doctrina pacifica est praesertim in iure canonico, in quo viget principium generale vi cuius, praeter casus in lege expressos, “pars libere potest advocatum et procuratorem constituere, sed potest quoque in iudicio per se ipsa agere et respondere, nisi iudex [...]” (can. 1655, §3). Codex vigens hanc libertatem partis se defendendi per se absque advocate affirmat expresse in ipsis causis matrimonialibus (cf. can. 1481 §3).

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Patet igitur conclusio: omnes actus qui notificari debent, notificantur semper immediate vel mediante procuratore partibus. Si partes procuratorem constituant, notificationes procuratori factae censemuntur factae etiam partibus. Si vero partes procuratore careant, omnes notificationes necessariae debent fieri personaliter partibus.

In casu nostro, D.nus Z, curator legitime datus mulieri conventae, agere per se intendebat in iudicio absque constituto Patrono, et defendere validitatem vinculi matrimonialis ideo omnes notificationes quae debent fieri partibus, illae etiam quae solent fieri Patronis si legitime sint constituti, fieri debebant personaliter ipsi curatori, id est D.no Z, abstrahendo ab eius condicione professionali et officio advocati. In hac causa erat et est tantum curator, id est pars privata unam personam processualem efformans cum muliere conventa.

d) “Ius vigilantibus succurrit, non dormientibus”. Hoc principium, a Patrono actoris invocatus, recte est perpendendum et applicandum, praesertim in iure processuali.

Principium originem dicit a iure patrimoniali: “ius civile vigilantibus scriptum est” (D. 42. 8. 24) et Ulpianus illud allegat in favorem creditoris diligentis: “sibi enim vigilavit” (D. 42. 8. 6, 7).

Vigilantia opponitur desidiae quae praemium a lege nequit mereri: “Ius civile (id est pracepta vivendi) scriptum est vigilantibus, non dormientibus [...]; et Iustinianus ait industriam sive vigilantiam non debere persolvere poenas desidiae”, prout commentat J. CUJACIUS, in *lib. IV Codicis Iustiniani*, ed. Neapoli 1758, col. 988).

At neglegentia vel desidia, cui praevaleret vigilantia, debet esse saltem culposa; alias ius non succurrit. “Cum vigilantibus, non dormientibus, iura subveniant. Quibus negligentibus culpa nocere debet” (J. C. CALVINO, *De aequitate tractatus novus*, Lib. 3 cap. 250 n. 21-22, ed. Mediolani 1676, 122), prout Costa explicat strictius: “Damnum enim quod quis sua culpa patiatur sibi, non aliis, imputare debet; et iura subveniunt vigilantibus, non dormientibus” (J.B. COSTA, *Tractatus de facti scientia vel ignorantia*, in sp; 90, resp. authoris n. 30, ed. Papiae 1603, 130).

In casu nostro non est laudanda aud admiranda diligentia Curatoris in prosequenda causa et in iuribus mulieris curatae tutandis; sed pari modo improbanda est neglegentia tribunalis in omittendis notificationibus partibus faciendis.

Ius imponit iudici officium et obligationem notificandi nonnullos actus processuales uni vel alteri vel utriusque parti; praescribit etiam ut iudex terminos statuat intra quos nonnulli actus processuales sunt a partibus ponendi. At, ut patet, hi termini seu spatia temporis notificanda sunt

IURISPRUDENTIA PROT. N. 15301/83 CG

partibus; aliter praescripti termini nequeunt a partibus observari, minus adhuc neglegi, quia simpliciter ignorantur a partibus

Si vero notificationes omittantur pro aliqua parte, ideo actus processuales praescriptos non ponit, dum e contra notificantur, saltem de facto, alteri parti, quae ideo actus processuales praescriptos exsequitur, illa pars nequit, ex hac sola ratione, retineri culpa sua neglegens aut dormiens.

Relatum principium applicationem plenam obtineret si notificationes actuum processualium demonstrarentur legitime factae parti conventae et haec, dormiens, non ageret in iudicio intra terminos a iure vel a iudice praescriptos. Sed, in casu nostro, de notificationibus curatori mulieris conventae factis, nulla habetur probatio aut demonstratio.

26. Quibus omnibus praemissis ac rite perpensis tam in iure quam in facto, ad propositum et concordatum dubium “An constet vel minus de nullitate Sententiae coram Stankiewicz diei 16 decembris 1982”.

Collegium Em.morum Patrum Cardinalium pro Tribunali sedens ac solum Deum pree oculis habens, Christi nomine invocato, respondendum censuit uti respondet:

AFFIRMATIVE. Seu constare de nullitate sententiae Rotalis coram [...] diei 16 decembris 1982

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 17 ianuarii 1987.

Sign.ti	Aurelius Card. SABATTANI, <i>Praefectus et Ponens</i> Silvius Card. ODDI Petrus Card. PALAZZINI Rogerius Card. ETCHEGARAY Opilius Card. ROSSI Marius Aloisius Card. CIAPPI
---------	---

L + S

Aloisius Card. DADAGLIO Simon O. Card. LOURDUSAMY Rosalius J. Card. CASTILLO LARA Eduardus Card. GAGNON Alfonsus Card. STICKLER

ET NOTIFICETUR

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 11
aprilis 1987.

+ Zenon GROCHOLEWSKI, Secr.

Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Can.*